

De

# Tyrannii Rufini Aquileiensis

commentario in symbolum apostolorum. I.

---

Dissertatio pertinens ad historiam dogmatum.

Scripsit

**Henricus Bruell.**

---



# Титулъ Римскаго Академіи

Съчиненіе въ члены Академіи изъѣзжихъ

Дѣлъ о заслугахъ и заслуженіи  
для Академіи и для науки въ  
разныхъ областяхъ

Печати

Новѣйшее II



De  
Tyrannii Rufini Aquileiensis  
commentario in symbolum apostolorum.

1. Tyrannius (Toranus, Turanius) Rufinus Aquileiensis (345—410) insignem quem tenet inter veteres ecclesiae scriptores locum debet versionibus seu potius interpretationibus, quas de Graecorum patrum, imprimis Origenis, scriptis Latino sermone confecit<sup>1)</sup>. Pernotae sunt controversiae illae diurnae atque acerbae, quae Rufino cum s. Hieronymo antea amicissimo ex his studiis exstiterunt<sup>2)</sup>. Inter ea vero quae suo Marte conscripsit opera longe praestantissimum est illud, cui inscribitur: commentarius sive expositio in symbolum apostolorum. Quamquam de tempore, quo a Rufino hic liber conflatus est, non satis constat, universa tamen eius ratio atque dispositio id probare videtur, conscriptum eum esse et annis Rufini et literarum studiis in finem vergentibus. Licet enim confecerit ille commentarium in symbolum apostolorum maxime auctore episcopo quodam Laurentio in catechumenorum usum, non potest negari, non minus id eum tacite quidem, sed revera egisse, ut religionis sua, cuius orthodoxiam variis quas ediderat apologiis modo summatim, modo per singula quaedam fidei capita acriter defenderat, cum ecclesiae fide ab omnibus recepta convenientiam quasi continua doctrinae christiana, quatenus quidem in symbolo apostolico exstabat, expositione demonstraret. Eiusmodi opus ei aetati maxime attribuendum esse, quam supra circumscrispsimus, is facile concedet, qui Rufini literarum studia atque rixarum cursus cognita habet.

1) cf. de Rufini vita et scriptis: Ceillier, histoire générale des auteurs sacrés. Paris 1861, tom. VII, 448—484. — Fontanini, hist. lit. Aquileiensis. Rom. 1742. — Praefationes in Vallarsiana Rufini editione, quam recensuit Migne, patrol. ser. lat. tom. XXI. — Fessler, institutiones patrol. Oeniponte 1851. II, p. 203—212. — Alzog, Grundriss der Patrologie oder der älteren christlichen Literärgesch. Freib. i. Breisg. 1869. 2. Aufl. p. 329—332. — Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. Leipzig 1870. p. 907—909.

2) cf. Buse, Hieronymus und Rufinus, in Dieringer, Kath. Zeitschr. 1846.

Maximi habebatur commentarius ille, de quo agitur, per ecclesiasticam antiquitatem<sup>1)</sup>; et ne hodie quidem summam eius auctoritatem et utilitatem ei dubitant, qui in re patristica et in ipsa dogmatum historia versantur viri docti<sup>2)</sup>. Inter quos cum nemo adhuc quantum ad dogmatum historiam fructus e Rufiniano commentario redundaturum sit, speciali ac continuo examine perquisiverit, non prorsus inutile eum facturum esse speramus, qui peculiari libello hanc quaestionem tractaverit.

Symbolum enim apostolorum cum graviora atque, ut ita dicam, fundamentalia christiana fidei dogmata contineat, eum, qui commentario illud accurato atque uberiore ornare sibi proponit, necesse est totius fere fidei explicationem suscipere. Hoc re vera praestitit Rufinus. Cumque opusculum illud in usum maxime catecheticum componeret, missis omnino privatis opinionibus et subtilioribus quaestionibus, simplicem et communem ecclesiae fidem, qualis esset ab omni fideli credenda, proposuit et explicavit. Aptissimus autem fuisse videtur ad hoc opus suscipiendum, tum quod maxime versatus erat in Graecorum imprimis patrum scriptis et in historia ecclesiastica, tum quod per longius temporis spatium in ecclesiis per orientem atque occidentem principibus ipse commorabatur, ita ut communem per totum orbem ecclesiae fidem suis, ut ita dicam, oculis inspicerit. Verum non testem solum atque doctrinae christianae doctorem, sed etiam defensorem commentario illo velle se esse, ipse diserte profiteri videtur, ubi Photinum memorat haereticum, quem ita symbolum explicasse dicit, „non ut rationem dictorum audientibus explanaret, sed ut simpliciter fideliterque dicta ad argumenta sui dogmatis traheret“ (ed. Migne 336)<sup>3)</sup>. Ad haec si addis, multa eaque concinna inveniri apud Rufinum de christiana doctrina iudicia multisque opinione, quas suo beat ingenio, quasque minime neglexerunt ei, qui post eum scripserunt ecclesiastici doctores, satis elucere videtur, cur ipsius doctrinam accuratius inquire plurimum intersit.

2. Rufinus igitur antequam ad singulos symboli articulos, quos sermones vocat, explicando atque illustrando aggreditur, disputatione satis fusa de ipsius symboli apostolica origine agit<sup>4)</sup>. Ea autem, quae affert Rufinus, propterea digna sunt, quae diligentissime considerentur, quod quamquam et ante eum symbolum semper appellata

1) Gennadius de scriptor. eccles. cap. 17. ita scribit de Rufino: »Rufinus Aquileiensis ecclesiae presbyter non minima pars fuit doctorum ecclesiae et in transferendo de Graeco in Latinum elegans ingenium habuit. . . Proprio autem labore, immo gratiae dei dono, exposuit idem Rufinus symbolum, ut in eius comparatione alii nec exposuisse credantur.«

2) cf. Alzog. l. c. p. 331. — Hagenbach, s. v. Rufinus in Herzog, Real-Encyclopaedie. Gotha 1860.

3) Ipsius Rufini verba in hac dissertatione citantur sec. paginas editionis Mignianaee.

4) »Ut manifestius fiat argumentum verbi huius, ut diximus, breviati — symboli sc. — causam, qua haec traditio ecclesiis data est ab origine repetemus« (M. 337).

batur apostolicum, tamen quo sensu quaque ratione eo nomine ornaretur usque ad eius aetatem nemo patrum sive scriptorum ecclesiasticorum significasse videatur. Neque vero Rufinus eam, cui ipse certissime addictus est, sententiam profert, sed fulcit tantummodo vulgarem, qua ipsi apostoli symboli ad verbum auctores esse existimantur, traditione<sup>1)</sup> quadam sive narratione maiorum, quam nullo firmat singillatim argumento. Sed ipsum audiamus Rufinum. „Discessuri itaque ab invicem normam sibi prius futurae praedicationis constituunt (apostoli), ne forte alii alio abducti, diversum aliquid his qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi, et spiritu sancto repleti, breve istud futurae sibi, ut diximus, praedicationis indicium, in unum conferendo quod sentiebant unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam, statuunt. Symbolum autem hoc multis et iustissimis causis appellari voluerunt. Symbolum enim Graece et indicium dici potest et collatio . . . Id enim fecerunt apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod sensit. Indicium autem, vel signum idecirco dicitur, quia in illo tempore (2. Cor. 11, Act. 15) multi ex circumeuntibus Iudeis simulabant se esse apostolos Christi, . . . nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idecirco istud indicium posuerunt, per quod agnosceretur is qui Christum vere secundum apostolicas regulas praedicaret“ (M. 337 sq.). Sed eo consilio apostolos „haec non scribi chartulis aut membranis, sed retineri credentium cordibus tradidisse“, addit Rutinus, „ut certum esset, haec neminem ex lectione, quae interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex apostolorum traditione didicisse;“ . . . tali autem modo aedificasse apostolos per symboli articulos „monimenta fidei, quae starent adversus faciem inimici e lapidibus vivis et margaritis dominicis: quam neque venti impellerent, neque fulmina subruerent, neque tempestatum ac procellarum turbines permoverent“ (M. 338 sq.).

Iam vero hanc Rufini de symboli origine sententiam si accuratius paullo examinamus atque critica ratione disceptamus, ei, qui tamquam certissimo ea utuntur arguento ad comprobandum directam et immediatam symboli ab ipsis apostolis confectionem<sup>2)</sup>, minus recte id agere mihi quidem videntur. Primum enim, ut supra dictum est, ne ipse Rufinus quidem opinionem suam tamquam certam et manifestam profert, sed ita, ut ad incertam quandam maiorum traditionem provocet et alia in commentario oblata occasione de eis cautissime loquatur, „qui symbolum tradiderunt“ (M. 356). Deinde vero difficile est ad intelligendum, quomodo fieri potuerit, ut, si pro-

1) »Tradunt maiores nostri . . .« (M. 337).

2) Natalis Alex. hist. eccl. saec. I. diss. 12. — Meyers, de symboli apostolici titulo, origine et antiquissimis ecclesiae temporibus auctoritate. Treviris, 1849.

latum a Rufino de origine symboli iudicium revera constans in ecclesia et ab omnibus accepta sententia fuisset, nemo eorum, qui ante Rufinum de symbolo egerunt, de directa illa et immediata eius apostolica confectione mentionem fecerit. Posterioris autem aetatis scriptores, quorum primus est auctor sermonis 115. de tempore inter Augustini opera, ita rem exaggeraverunt, ut suum cuique apostolo articulum tamquam auctori tribuerent<sup>1)</sup>. Ex quo intelligitur, etiam Rufini sententiae nullam nisi narrationis alicuius vim impertiendam esse. Nec desunt alia argumenta, quae iudicium modo prolatum firmare possint, in ipsius narrationis interioribus rationibus posita. Nullo enim pacto potest ad probabilitatem adduci, apostolos, qui viva erant revelationis christiana instrumenta ac spiritus sancti auxilio semper adiuti, eo consilio composuisse symbolum, „ne forte alii alio abducti, diversum aliquid his, qui ad fidem invitabantur, exponerent.“ Accedit, quod apostolicae praedicationis ratio atque indeoles, quantum quidem e canonicis novi testamenti libris iudicari potest, mechanicam istam, ut ita dicam, sententiam, qua fixis formulis apostoli summam aliquam doctrinae christiana tradidisse putantur, omnino tollit. — Sed licet directa atque immediata symboli ab apostolis origo Rufini auctoritate probata non sit, id tamen efficit ille, ut satis apertum sit, quae fuerit iam antiquissimis ecclesiae temporibus conficiendi symboli causa quasi efficiens. Opus enim erat crescenti per orbem ecclesiae et indicio, ut συμβόλον Rufianiana utar interpretatione, et fidei vere apostolicae breviata collatione, indicio quidem, „per quod agnosceretur is, qui Christum vere secundum apostolicas regulas praedicaret,“ — collatione vero, quae tum in catechumenorum institutione ad hiberetur, tum tamquam fidei publice confitendae formula esset eis, qui baptismatis gratiam suscepturi erant.

### 3. Ad ipsius apostolici symboli textum quod attinet, iam ad primum articulum

1) »Symbolum, quod vobis tradituri sumus, fratres carissimi, comprehensio est fidei nostrae atque perfectio simplex, breve, plenum, ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriae, plenitudo doctrinae. Quod enim Graece symbolum dicitur, Latine collatio nominatur. Collatis ideo, quia collata in unum catholicae legis symboli colligitur brevitate, cuius textum vobis modo, Deo annuente, dicemus: Petrus dixit: Credo in Deum patrem omnipotentem. Ioannes dixit: Creatorem coeli et terrae. Iacobus dixit: Credo et in Iesum Christum, filium eius unicum, Dominum nostrum. Andreas dixit: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Philippus ait: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus. Thomas ait: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Bartholomaeus dixit: Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Matthaeus dixit: Inde venturus iudicare vivos et mortuos. Iacobus Alphaei: Credo et in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum communione, remissionem peccatorum. Iudas Iacobi: Carnis resurrectionem. Mathias complevit: Vitam aeternam. Amen.« cf. Probst, Lehre und Gebet in den drei ersten christlichen Jahrhunderten. Tübingen 1871. p. 65 sq.

„credo in deo patre omnipotente“ Rufinus „illud non importune commonendum putat, quod in diversis ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adiecta“ (M. 339). In ipso vero commentario suo Aquileiensem symboli formam sequitur: „nos . . . illum ordinem sequimur, quem in Aquileiensi ecclesia lavaci gratia suscepimus“ (ib.). Neque enim ad verbum convenient fidei formulae, quae in singulis per orientem et occidentem ecclesiis symboli loco in usu erant<sup>1)</sup>. Hinc vero duplex obiicitur Rufino quaestio, tum quae fuerit antiquissima atque nativa symboli forma, tum qua ratione quibusque de causis in singulis ecclesiis nova quaedam et propria additamenta adiuncta sint. Eaque antiquissima et simplicissima recte iudicatur a Rufino symboli forma, quam servaverit ecclesia urbis Romae<sup>2)</sup>: quod quidem propterea ita esse arbitratur, „quod neque haeresis ulla illic sumpsit exordium, et mos inibi servatur antiquus, eos, qui gratiam baptismi suspecturi sunt, publice, id est fidelium populo audiente, symbolum reddere; et utique adiectionem unius saltem sermonis eorum, qui praecesserunt in fide, non admittit auditus“ (M. 339). Quod quidem argumentum impugnat Kuhnius<sup>3)</sup>; sed id neglegere videtur vir doctissimus, non dicere Rufinum, nullam omnino haeresim agitatem fuisse in ecclesia urbis Romae, sed „nullam illic sumpsisse exordium.“ Additamenta vero, quae ad Romanam symboli formam aliis locis accesserant, „propter non nullos haereticos“ Rufino adiuncta iuste videntur, „per quae novellae doctrinae sensus erederetur excludi“ (ib.). Quae quidem additamenta cum ex ipsius apostolorum doctrinae traditione, quam servabat ecclesia, succrescerent, symbolum etiam auctum quodammodo atque amplificatum revera apostolicum manebat. Iam vero ut melius perspiciatur, quae ratio intercedat inter Romanum symbolum et Aquileiense, utraque forma, qualis quidem ex ipsius Rufini et aliorum scriptorum ecclesiasticorum descriptione eluet, hic proponenda videtur:

1) Varias apostolici symboli formas accuratissime e fontibus eruit atque composit Denzinger, Enchiridion symbolorum et definitionum, Wirzburgi, 1856. ed. 3. p. 1 sqq.

2) cf. Propst, 1. c. p. 78 sq.: »In voller Uebereinstimmung mit den Zeugnissen der ältesten Schriftsteller steht . . . das Glaubensbekenntniss der röm. Kirche, das Rufin überliefert hat. Diese alt römische Fassung weicht in einigen Punkten von der jetzigen ab. Es fehlen die Artikel: descendit ad inferos, — communionem sanctorum, — vitam aeternam — und die Worte: passus, — catholicam, — amen. Sie wurden erst im fünften Jahrhunderte aufgenommen, waren aber implicite im alten Symbolum enthalten. Nach Rufin gehört der descensus ad inferos zum Begräbniss, die communio sanctorum lag im Begriff der Kirche, vitam aeternam enthielt der Artikel von der Auferstehung des Fleisches. Da sich die röm. Kirche als so treue Wächterin dieses Symbolum bewährte, dass sie nicht einmal die Erweiterungen des nicaenischen in dasselbe aufnahm, sondern beide nebeneinander verwendete, so lässt sich schon daraus auf das hohe Alter und den langjährigen Gebrauch desselben in dieser Kirche schliessen.«

3) cf. Kuhn, Kathol. Dogmatik, 2. Bd. Die Trinitätslehre. Tüb. 1857. p. 93 sq.

## Symb. Rom.:

1. Credo in Deum patrem omnipotentem;
2. et in Iesum Christum filium eius unicum, Dominum nostrum;
3. qui natus est de spiritu sancto ex (al. et) Maria virgine;
4. crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus;
5. tertia die resurrexit a mortuis;
6. ascendit ad coelum;
7. sedet ad dexteram Patris;
8. inde venturus est iudicare vivos et mortuos;
9. et in spiritum sanctum;
10. sanctam ecclesiam;
11. remissionem peccatorum;
12. carnis resurrectionem.

## Symb. Aquileiense:

1. Credo in Deo patre omnipotente, invisi- bili et impassibili;
2. et in Christo Iesu unico filio eius, Do- mino nostro;
3. qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine;
4. crucifixus sub Pontio Pilato et sepul- tus, descendit ad inferna;
5. tertia die resurrexit a mortuis;
6. ascendit ad coelos;
7. sedet ad dexteram patris;
8. inde venturus est iudicare vivos et mortuos;
9. et in spiritu sancto;
10. sanctam ecclesiam;
11. remissionem peccatorum;
12. huius carnis resurrectionem<sup>1)</sup>.

4. Iam ad primum symboli articulum procedens a verbo „credo“ occasionem dueit Rufinus, ut uberius disputet de fidei necessitate atque, ut ita dicam, convenien- tia. Ac movetur quidem ad hanc disputationem, „quia pagani nobis obiicere solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat“ (M. 340). Ad diluendam igitur hanc adversariorum opinionem Rufinus studet demon- strare, „nec agi nec stare aliquid posse, nisi praecesserit vis credendi.“ Quae ex communi hominum vita sumit argumenta atque exempla, ea concinna sunt et acuta. „Nec mare, inquit, quis ingreditur et liquido ac profundo sese committit elemento, nisi se prius erdat posse salvari: nec agricola semina sulcis obruit et fruges spargit in terram, nisi crediderit venturos imbræ, affuturum quoque solis temorem, quibus

1) E Graecorum formulis una hoc loco advocanda videtur, quae ex catechesibus sancti Cy- rilli Hierosolymitani Rufino notissimis patet: Πιστεύομεν εἰς ἑνα θεόν, πατέρα παντοκράτορα, ποιη- τὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀορατῶν καὶ εἰς ἑνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐν τοῦ πατρὸς γεννηθέντα θεὸν ἀληθινὸν πρὸ πάντων αἰώνων, δι' οὗ τὰ πάντα ἔγένετο, ἐν σαρκὶ παραγενόμενον καὶ ἐνανθρωπίσαντα, σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς καὶ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς καὶ ἐρχόμενον ἐν δόξῃ κοίνῳ ζώντας καὶ νεκρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος· καὶ εἰς ἐν ἄγιον πνεῦμα, τὸν παράκλητον τὸ λαλῆσαν ἐν τοῖς προφήταις καὶ εἰς ἐν βάπτισμα μετανοεῖς εἰς ἀφεσιν ἀμαρτιῶν καὶ εἰς μαγ̄ ἀγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνων.

terra confota segetes multiplicata fruge producat ac ventis spirantibus nutriat. Nihil denique est, quod in vita geri possit, si non credulitas ante praecesserit“ (ib.). Quibus argumentis alia atque similia addit Rufinus, ut nullo modo mirum aut contra communem hominum intelligentiam repugnans esse ostendat, quod „accidentes ad deum eredere nos primo omnium profitemur, cum sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis“ (ib.)<sup>1)</sup>.

5. Praemissis igitur his, quae de fidei necessitate introductionis loco disputavit, Rufinus ad ipsam de deo patre omnipotenti doctrinam aggreditur. Ac primum quidem satis aperte monet, absolutam plane et adaequatam dei cognitionem hominibus concessam non esse; quare ea ratione tractandum esse deo, „secundum quod opinari potest humana mens“<sup>2)</sup>, nec curiosius investigandum in profundum arcani, „ne forte dum inaccessae lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum, qui mortalibus divino munere concessus est, perdas aspectum“ (M. 341). Singula deinde quae distinguit in deo humana cognitio ipsius essentiae attributa inhaerentia Rufinus breviter quidem, sed accurate comprehendit: „deum cum audis, substantiam intellige sine initio, sine fine, simplicem, sine ulla admistione, invisibilem, incorpoream, ineffabilem, inestimabilem, in qua nihil adiunctum, nihil creatum sit. Sine auctore enim est ille, qui est omnino omnium auctor“ (ib.). Quodsi autem pater appellatur deus, filii intelligendus est pater, „qui filius supradictae sit imago substantiae.“ Hoc autem vero et proprio sensu, non modalistico accipiendo esse Rufinus diserte docet. „Sicut enim nemo dicitur dominus, nisi habeat vel possessionem, vel servum, cui dominatur: et sicut nemo magister dicitur, nisi discipulum habeat; ita et pater nullo pacto quis dici potest, nisi filium habens. Hoc igitur ipso nomine, quo deus pater appellatur, cum patre pariter subsistere etiam filius demonstratur“ (ib.)<sup>3)</sup>. Quomodo vero deus pater genuerit filium, id tamquam mysterium rationi humanae impenetrabile curiosius discutiendum non esse; sed nullum posse paganis ex hac re nasci contra fidem christianorum argumentum, cum ne in naturalibus quidem ac quotidianis rebus ea, quae ad generationem sive proprio, sive impropiro aliquo sensu significatam pertineant, omnino possint intelligi. „Aut si putas in hoc omni indagationis genere utendum, prius tibi propone, quae nostra sunt: quae si consequenter valueris expedire, tunc a

1) Similibus atque Rufinus argumentis saepius ac libenter utuntur patres ad probandam fidei necessitatem eiusque cum ratione convenientiam; cf. impr. August. de utilitate credendi, c. XII.

2) cf. Cyr. Hier. cat. VI, 2 (ed. Migne 540): λέγομεν γὰρ οὐχ ὅσα δεῖ περὶ Θεοῦ (μόνῳ γὰρ αὐτῷ ταῦτα γνῶσμα), ἀλλ’ ὅσα κεχώρηκεν ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, καὶ ὅσα ἡ ἡμετέρα ἀσθετεία βαστάσαι δύναται. . .

3) cf. Cyr. Hier. cat. VII, 4 (ed. Migne p. 608): τὸ γὰρ τοῦ Πατρὸς ὄνομα ἔμα τῷ τῆς ὄνομαστας προσφήματι νοεῖν παρέχει καὶ τὸν Υἱόν τ. λ.

terrestribus ad coelestia et a visibilibus ad invisibilia properato“ (ib.)<sup>1)</sup>. Sed etiam si fieri revera possit, ut generationis ratio, quantum quidem inter ipsius naturae fines versatur, plane perspiciatur, tamen Rufinus addit esse tenendum, quod adhuc divinae generationis mysterium tanto sit differentius et eminentius, quanto creator creaturis potentior, quanto artifex opere suo praestantior, quanto ille, qui semper sit, eo qui ex nihilo cooperit esse nobilior. Credendus est ergo deus esse pater unici filii sui domini nostri, non discutiendus“ (M. 342)<sup>2)</sup>.

Nec neglegit Rufinus ut fulciat suam deo patre ac vero ipsius filio doctrinam apertis sacrae scripturae testimoniis („hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite“ Matth. 17, 5 — „qui videt me, videt et patrem“, et „ego et pater unum sumus“ et „ego a deo exivi et veni in hunc mundum“ Ioh. 14, 9). Quibus allatis haec exclamat: „Quis est qui inter has patris et filii voces medius se discussor interserat et deitatem dividat, affectum separat, substantiam rumpat, spiritum secet, neget esse verum, quod veritas dicit“ (M. 342 sq.)?

Quamquam vero divina filii generatio supernaturale est fidei mysterium, analogias aliquas invenerunt patres, quibus rem difficillimam humanae rationi propiorem quodammodo redderent, quasque Rufinus quoque non omisit: „est ergo deus pater verus, tamquam veritatis pater, non extrinsecus creans, sed ex eo, quod ipse est, filium generans, i. e. quasi sapiens sapientiam, quasi iustus iustitiam, quasi sempiternus sempiternum, quasi immortalis immortalem, quasi invisibilis invisibilem, quia lux splendorem, quia mens verbum“ (M. 343). — Ea igitur, quae modo proposita est a nobis doctrina Rufinus illorum patrum numero accedit, qui divinae generationis mysterium strenue defenderant tum contra Valentinianos divinarum generationum arbitriatum et phantasticum ordinem docentes, tum adversus Arianos, qui divinam et aeternam Verbi generationem ut rem prorsus incredibilem negabant<sup>3)</sup>.

1) »Expedi primo si potes, quomodo mens, quae intra te est, generet verbum, et qui sit in ea memoriae spiritus: quomodo haec cum diversa sint rebus et actibus, unum tamen sint vel substantia, vel natura, et cum e mente procedant, nunquam tamen ab ipsa separantur. Et si haec, quamvis in nobis et animae nostrae substantia habeantur, tamen tanto nobis occulta videantur, quanto aspectui corporeo invisibilia: de apertioribus requiramus. Fons quomodo ex se generat flumen, quo autem spiritu rapidus fertur in fluentum? Quid est, quod dum unum et inseparabile sit flumen et fons, tamen nec flumen fons, nec fons flumen intelligi aut appellari potest: et tamen qui viderit flumen, videt et fontem? Exerce te prius in horum explanatione et discute, si potes, quae habentur in manibus: et tunc ad horum sublimiora venies . . . « (M. 341 sq.)

2) cf. Cyr. Hier. cat. XI, 11 (ed. Migne 701 sq.): Ἐγέννησε τούντιν αὐτὸν ὁ Πατήρ, οὐχ οὖτως ὡς ἄν τις νοήσειν ἀνθρώπων, ἀλλ' ὡς οἶδεν αὐτὸς μόνος . . .

3) cf. Cyr. Hier. ed. Migne p. 703 not. 1.

Monuerat autem Rufinus iam initio commentarii ad primum symboli articulum, quod „orientales ecclesiae omnes pene ita tradunt: ,credo in uno deo patre omnipotente‘. Et rursus in sequenti sermone, ubi nos dicimus: ,et in Christo Iesu unico filio eius domino nostro‘: illae tradunt: ,et in uno domino nostro Iesu Christo unico filio eius“ (M. 341). Dubium non est, quin Nicaenam et Constantinopolitanam fidei confessionem his verbis maxime significare voluerit<sup>1)</sup>). Ad sensum autem huius additamenti quod attinet, unum hoc loco accipendum esse non tamquam numerale docet Rufinus, sed eo sensu, quo res aliqua significetur suo in genere singularis et unica: „hoc non intelligendum est unum numero dici, sed universitate. Verbi gratia: si quis dicat unum hominem, aut unum equum, hic unum pro numero posuit: potest enim et alius homo esse et tertius, vel equus. Ubi autem alius vel tertius non potest iungi, unus si dicatur, non numeri, sed universitatis est nomen. Ut si e. c. dicamus unum solem: hic unus ita dicitur, ut vel alius, vel tertius addi non possit: unus est enim sol. Multo magis ergo deus cum unus dicitur, unus non numeri, sed universitatis vocabulo nuncupatur, i. e. qui propterea unus dicitur, quod alius non sit“ (M. 343)<sup>2)</sup>.

Iam ad absolvendam primi symboli articuli explanationem superest Rufino, ut doceat, quo sensu deus pater omnipotens vocetur. „Omnipotens autem ab eo dicitur, quod omnium teneat potentatum.“ Qua definitione eum minus Latini vocabuli omnipotentis vim ac potestatem respiciat, quam Graeci παντοκράτορος, Cyrilum Hierosolymitanum, cuius e catechesibus multa in commentarium suum tacite quidem, sed saepius ad verbum fere transtulit, hoc quoque loco secutus esse videtur Rufinus; ille enim: παντοκράτωρ γάρ ἐστιν, inquit, ὁ πάντων κυριός, ὁ πάντων ἔξουσιάζων<sup>3)</sup>). Quod autem per filium omnia tenere patrem distinete monet, id eo consilio facit, ut eandem, quae sit patri, et filio vindicandam esse omnipotentiam confirmet: „quia sicut lux de luce et veritas de veritate, ita de omnipotente omnipotens natus est“ (M. 344).

In Aquileiensi autem symbolo ad formam Romanam haec addita exstabant: invisibili et impassibili; quae quidem Rufino ab explicatione sua excludenda visa non sunt. „Constat autem apud nos additos (duos sc. istos sermones) haereseos causa Sabellii, illius profecto, quae a nostris patripassiana appellatur, i. e. quae et patrem ipsum vel ex virgine natum dicit et visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de patre, videntur haec addidisse maiores

1) Πιστεύομεν εἰς ἓν Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα . . . καὶ εἰς ἓν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν νίκην τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ . . . Symb. syn. Nic. v. Denzinger, enchiridion p. 10. Πιστεύομεν εἰς ἓν Θεὸν πατέρα παντοκράτορα . . . καὶ εἰς ἓν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν νίκην τοῦ Θεοῦ μονογενῆ . . . Symb. syn. Constant. a. 381. Denzinger l. c. p. 16.

2) cf. Hagenbach, Lehrbuch der Dogmengesch., p. 269.

3) Cyr. Hier. cat. VIII, 3 (ed. Migne 628).

et invisibilem patrem atque impassibilem dixisse. Constat enim filium, non patrem incarnatum et ex carne natum: et ex nativitate carnis filium visibilem et passibilem factum. Quantum autem spectat ad illam deitatis immortalem substantiam, quae una ei eademque cum patre est: ibi neque pater, neque filius, neque spiritus sanctus visibilis aut passibilis creditur“ (M. 345).

6. Venio ad ea, quae Rufinus in commentario suo de Christi redemptoris persona atque opere uberrime exposuit. Cum enim iam inde ab antiquissimis ecclesiae temporibus in ipsum dogma christologicum multae eaeque periculosissimae haereses irruerent, res exigebant, ut plures atque distincti de hoc totius fidei christianaे fundamento articuli symbolo iniungerentur<sup>1)</sup>. Rufinus igitur in ea disputatione inde proficisciatur, ut quae sit generatim atque universe redemptoris nostri dignitas ex ipsius nominis intellectu eorumque conditione deducat, qui in veteri testamento eodem nomine ornati erant. „Iesus Hebrei vocabuli est nomen, quod apud nos salvator dicitur. Christus a chrismate, i. e. ab unctione appellatur. Legimus enim in libris Moysi, quod Auses Navae filius, cum electus esset dux populi, commutato nomine, de Ause Iesus cognominatus sit, quo scilicet ostenderetur, hoc esse nomen, quod principibus et ducibus conveniret, his dumtaxat, qui salutem sequentibus se populis darent. Itaque et ille Iesus appellatus est, qui eductum de terra Aegypti populum, et de erroribus eremi liberatum in terram repromotionis induxit<sup>2)</sup>. Et hic Iesus, qui populum de ignorantiae tenebris eductum et de mundi erroribus revocatum introduxit ad regna coelorum“ (M. 345). E Christi deinde nomine et pontificale salvatoris munus et regium eluet: „nam prius et pontifices unguento chrismatis consecrabantur et reges“ (ib.).

Quod vero Christus unicus dei filius in symbolo appellatur, id ita fieri rectissime iudicat Rufinus, „ne forte putas, quod humana ista vocabula terrena te aliquid doceant.“ Singularis enim est et a corporea diversissima divina illa et incorporea generatio: „nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec in divisionem cadit, ubi qui nascitur, nequaquam a generante separatur. Unicus est, ut menti sensus, ut cordi verbum, ut forti virtus, ut sapientia sapienti“ (M. 346). Quamquam au-

1) cf. Schwane, Dogmengeschichte der patristischen Zeit. p. 341.

2) Sumpsit Rufinus hanc narrationem paucis mutatis e Cyrillo Hierosolymitano, qui cat. X, 11 (ed. Migne p. 676) ita scribit: Ἰησοῦς δὲ Χριστός καλεῖται διωνύμως· Ἰησοῦς διὰ τὸ σώζειν, Χριστός διὰ τὸ ξερατεύειν. Καὶ τοῦτο γινώσκων ὁ Θεοπέτιος τῶν προφητῶν Μωϋσῆς, ἀνθράσι δυσὶ τοῖς πάντων ἐγχώριοις τὰς δύω ταύτας προσηγορίας ἔχωσατο· τὸν μὲν οἰκεῖον τῆς ἀρχῆς διάδοχον Αὐτὸν, Ἰησοῦν μετονομάσας· τὸν δὲ οἰκεῖον ἀθέλον τὸν ἄσφαλτον ἐπονομάσας Χριστὸν· ἵνα διὰ δύο ἀνθρώπων ἐγχώριων, τὸ ἀρχιερατικὸν ἄμα καὶ βασιλικὸν τοῦ μελλοντος ἐνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ παραστήσῃ . . . Cyrilii eadem fere verba leguntur apud Euseb., dem. evang. l. IV. cf. Toullée, not. in Cyr. Hier. cat. ed. Migne, p. 675, 4.

tem filius est omnino consubstantialis patri, „cum sit gloria, sempiternitate, virtute, regno, potestate hoc quod pater est“: omnia tamen haec non sine auctore, sicut pater, sed ex patre tamquam filius sine initio et aequalis habet: cumque sit ipse omnium caput, ipsius tamen caput pater est“ (ib.)<sup>1)</sup>.

Verum cum ita de filio Dei exponatur, omnis de carnali nativitate cogitatio mittenda est<sup>2)</sup>: agitur enim de „incorporea substantia, quae est naturae simplicis.“ „Si enim, ut supra diximus, vel in eo, quod cor generat verbum, vel mens sensum, vel lux ex se parit splendorem, nihil horum<sup>3)</sup> requiritur, nec ulla in tali generatione fragilitas cogitatur: quanto purius et sacratus de horum omnium creatore censendum est“ (ib.)? Hoc autem loco ipse sibi Rufinus opponit, eas, quas modo attulerit divinae generationis analogias videri ad insubstantivam aliquam pertinere generationem: „neque enim lux substantivum facit splendorem, aut cor substantivum generat verbum: filius autem dei substantialiter asseritur generatus“ (ib.). Ac primum quidem hanc dubitationem ita diluit, ut omnia omnino exempla quodammodo claudicare moneat: „exempla non per omnia similitudinem servare possunt rei illius, cui praebere putantur exemplum.“ Deinde tenendum esse docet, quod nulla creatura talis esse possit, qualis creator eius<sup>4)</sup>: „et ideo sicut sine exemplo est divina substantia, ita et sine exemplo est divinitas“ (M. 347). Quibus verbis mea quidem sententia nihil aliud Rufinus dicere videtur, quam divinam substantiam ut in se spectatam, ita omni agendi ratione omnino esse sine exemplo atque vera analogia. Tertio loco haec addit: „quia omnis creatura ex nihilo est. Si ergo insubstantiva scintilla, quae ignis est, ex se creaturam, quae ex nihilo facta est, gignit, et conditionem in hoc servat originis sua: cur illius aeternae lucis substantia, quae semper fuit, quia insubstantivum in se nihil habuit, substantivum ex se splendorem proferre non potuit“ (M. 348)? Et hoc quidem ipso loco aperte elucet, eur unicus dicitur dei filius: „unicus enim et solus est, qui ita natus est, nec comparationem aliquam potest habere, quod unicum est: nec similitudinem in substantia cum fakturis (al. factis) suis habere potest ille, qui factor est omnium“ (ib.).

Unicus autem praedicari debet Christus et tamquam dominus noster. „Caeteri quippe filii, licet filii dicantur, adoptionis tamen gratia dicuntur, non veritate naturae. Et si dicuntur alii domini, concessa tamen, non ingenita potestate dicuntur. Hic vero solus et unicus filius et solus unicus dominus“ (M. ib.)<sup>5)</sup>.

1) cf. Toussaint de cat. s. Cyr. diss. III, 3. ed. Migne, p. 186.

2) cf. Cyr. Hier. cat. XI, 8. ed. Migne p. 700: *Μὴ τούτων ἀνθρωπίνην εἶναι νομίσῃς τὴν γέννησιν.*

3) Eorum sc. quae ad ipsam corporeae nativitatis fragilitatem pertinent.

4) cf. Cyr. Hier. cat. XI, 22. ed. Migne p. 720: *ποιον γὰρ ἔσται τῶν ὄρατῶν ἀκριβὲς ὑπόδειγμα τῆς θείας καὶ ἀοράτου δυνάμεως;*

7. Ad insequentem symboli articulum („qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine“) pergens Rufinus adnotat, descendere hoc loco propositum fidei ordinem (symbolum sc.) ab ineffabili filii de patre nativitatis sacramento ad humanae salutis dignationem atque dispensationem. Hanc autem humanae salutis dignationem atque dispensationem ex eius intellectu nihil aliud esse apertum est, nisi quod Graeci dicunt *ἀξιώματα* et *οἰκονομίας*. Discernuntur enim a patribus atque ecclesiasticis doctoribus in Christo illae dotes et proprietates, quae pertinent ad aeternam eius naturam et generationem, quas *φυσικάς* vocant, ab eis, quibus in hominum usum atque beneficium, non ad suae naturae necessitatem instructus est; quae quidem proprietates appellantur *ἀξιώματα*, i. e. dignationes sive dignitates<sup>1)</sup>. *Οἰκονομία* autem ab ecclesiasticis scriptoribus vario sensu et intelligitur et adhibetur<sup>2)</sup>. Sed missis reliquis eius verbi significationibus eam ad hunc locum pertinere statuimus, qua adhibetur ad describendam cum omnem Dei in hominum salutem procurationem atque providentiam, tum maxime eam, quae Verbi incarnatione ac totius redēptionis mysterio continetur. Ita Graeco *οἰκονομία* maxime respondet Latinorum dispensatio.

His praemissis iam ipsius Rufini sententia facile intelligitur, cum in comparationem adducat aeternam Christi a patre generationem cum nativitate ipsius de spiritu sancto ex virgine: „haec iam, inquit, inter homines dispensationis nativitas est, illa divinae substantiae: haec dignationis est, illa naturae“ (M. 349). Nec ignorat Rufinus, de dogmate agi, quod Iudaeis atque paganis maximae offensioni erat; quare „mundiorem auditum purioremque sensum hoc loco requiri“ monet. Offendebantur autem maxime huius dogmatis adversarii eo, quod contagione carnis ac sordibus infici putarent divinam maiestatem atque dignitate infringi<sup>3)</sup>. Haec aptissimis argumentis a Rufino refelluntur. Ac primum quidem ita docet: „huic, quem dudum de

5) cf. Cyr. Hier. cat. XI, 4. ed. Migne pag. 694: *Υἱὸν δὲ πάλιν ἀκούων, μὴ καταχρηστικῶς ἀκούει μόνον ἀλλὰ εἰὸν ἀληθῶς, εἰὸν φυσικὸν, ἀναρχον τ. τ. λ.*

1) cf. Petavius, Dogm. theol. De incarnatione Verbi, XII, 1, 1.

2) Casparus Suicerus in thesauro ecclesiastico e patribus Graecis s. v. *οἰκονομία* quatuor enumerat huius verbi apud scriptores significations:

- a) ministerium evangelii, *οἰκονομία τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ*, Eph. 3, 2;
- b) providentia ac numen, quo dei sapientia omnia moderatur;
- c) ipsa Christi *εὐαγγελίσησις* s. naturae humanae assumptio;
- d) non tantum incarnationis, sed etiam totius redēptionis mysterium et passionis Christi sacramentum.

At recte monet Passaglia, comment. theol. II, p. 17. (Rom. 1850), neglegere Suicerum eam *τῆς οἰκονομίας* significationem, quae apud Tertullianum frequens est ad designandam in deo unitatis in trinitate dispositionem.

3) cf. Petavius, Dogm. theol. de incarnatione Verbi XII, 4, 5.

patre natum ineffabiliter didicisti, nunc a spiritu sancto templum fabricatum intra secreta uteri virginalis: et sicut in sanctificatione sancti spiritus nulla sentienda est frigilitas, ita et in partu Virginis nullam intelligendam esse corruptionem" (M. 349). Novus certissime est et singularis omnino hic virginis partus: sed „qui in coelis unius filius est, consequenter et in terra unicus est et unice nascitur.“

Sufficere autem ad confutandos Iudeorum infideles et incredulos id Rufino videtur, quod ipsi prophetae<sup>1)</sup> non solum Messiae e virgine partum (Is. 7, 14), sed et partus ipsius mirabile modum praedixerint atque praefiguraverint. Ea enim, quae leguntur apud Ezechielem (c. 44): „porta autem, quae respicit ad orientem, clausa erit et non aperietur, et nemo transibit per eam: quoniam dominus deus Israel transibit, et clausa erit“ Rufino certissimo argumento esse videntur, ex quo appareat integra virginis in partu conservatio. „Clausum fuit ea virginitatis porta: per ipsam intravit dominus deus Israel, per ipsam in hunc mundum de utero virginis processit, et in aeternum porta virginis clausa servata virginitate permansit“ (ib.).

Paganorum vero ludibriis convicieisque, quae ingerebant cum praedicari audirent de virginis partu, alia Rufino respondenda videbantur. Primum illis opponit, hoc uno virginis partum revera mirabile fuisse, quod scilicet generans defuerit vir: reliquas autem non deesse omnes naturalis nativitatis conditiones. „Omnis partus ex tribus constat: si adultae aetatis sit femina, si virum adeat, si non sit illius vulva vitio sterilitatis occlusa. Ex his tribus in hoc partu, quem praedicamus, unum defuit, vir scilicet: et hanc partem (quia qui nascitur non erat terrenus homo, sed coelestis) per spiritum coelestem dicimus, salva virginis incorruptione, completam“ (M. 350). Addit Rufinus, ipsos paganos nequaquam habere, quod talem virginis partum tamquam impossibilem atque insanum irriderent, cum de suis diis multo difficiliora crederent<sup>2)</sup>. „Credunt Minervam suam de cerebro Iovis natam. Quid ad credendum difficilius, aut quid magis contra naturam est? ... Et Liberum patrem dicunt de femore eius natum. Ecce aliud portenti genus, et tamen creditur! Venerem quoque, quam Aphroditen vocant, de spuma maris, sicut et omnis eius compositio ostendit, credunt esse progenitam. De ovo natum Castorem Pollucemque confirmant, et ex formica Myrmidones, et alia mille sunt, quae quamvis contra naturam rerum venientia, ipsis tamen sunt visa credibilia, ut Deucalionis et Pyrrhae lapides iactos, et hominum ex his segetem natam. Et cum haec tot et alia figura crediderint, unum eis impossibile videtur, quod adolescens femina divinum germen non hominis vitio, sed deo spirante conceperit.

1) v. Orig. c. Celsum I, 34, 35. cf. Knittel, des Origenes Lehre von der Menschwerdung des Sohnes Gottes, Tübinger Quartal-Schrift 1872. I. p. 128.

2) v. Orig. c. Cels. I. 37. cf. Knittel, l. c.

Qui utique si ad credendum difficiles sunt, illis tot et tam turpibus monstris fidem nequaquam commendare debuerant. Si vero faciles sunt ad credendum, multo promptius haec nostra tam honesta et tam saneta recipere, quam illa tam indigna et tam foeda credere debuissent“ (M. 350).

His argumentis satis sibi videtur Rufinus comprobasse, paganos non iustis causis virginis partum tamquam rem impossibilem negare. Sed aliud illud remanebat, quod obiiciebatur, „indignum esse, ut tanta illa maiestas per genitales feminae transiret egressus: ubi quamvis nulla fuerit ex viri commistione contagio, fuit tamen ipsius puerperii obscoenae attractationis iniuria“ (M. 351). Itaque et hanc adversariorum opinionem Rufinus diluere conatur. „Si quis videat parvulum in profundo coeni necari et ipse cum sit vir magnus et potens extremum ingrediatur coenum, ut parvulum liberet morientem, pollutusne a te accusabitur hic vir, qui paullulum calcaverit luti, an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro“ (ib.)? Quibus alia ab eo adiiciuntur exempla. Sicut solis radius, cum in coeni alicuius voraginem demittatur, nullam acquirit pollutionem, vel ignis nulla materia obscoena ipse pollui potest, ita nec illa supereminens et incorporea divina natura, quae super omnem ignem et super omne lumen est, pollutionis aliquid aut obscoenitatis acquirit. Sed longius etiam Rufinus progreditur recteque docet, si nativitas ex virgine tamquam turpe aliquid et indignum deo imputanda esset, eadem ratione et ipsam hominis rerumque terrestrialium creationem indicandam esse. „Nos hominem a deo creatum de terrae limo dicimus. Quod si obscoenitas deo reputatur opus suum requirenti, multo magis ei reputabitur opus istud ab initio fabricanti. Et superfluum est dicere, cur per obscoena transierit, cum non possis dicere, cur obscoena condiderit. Et ideo obscoena haec esse non natura, sed observantia docuit. Caeterum omnia, quae sunt in corpore, ex uno eodemque luto formata usibus tantum et officiis naturalibus distinguuntur“ (M. 351 sq.).

Ad calcem totius disputationis Rufinus tertiam rationem proponit, qua gentiles revocari posse existimat ab ingenti illo adversus susceptae a deo carnis mysterium horrore; cui inest vis proprie dogmatica. „Substantia, inquit, dei, quae omnino est incorporea, inseri corporibus vel capi ab eis principaliter non potest, nisi aliqua sit media substantia spiritualis, quae capax divini spiritus possit esse. . . . Filius dei nascitur ex virgine non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem deumque media generatus. Anima ergo media et in secreta rationabilis spiritus arce Verbum dei capiente, absque ulla quam suspicaris iniuria deus est natus ex virgine. Et ideo nihil ibi turpe putandum est, ubi sanctificatio spiritus inerat, et anima, quae erat dei capax, particeps fiebat etiam carnis“ (M. 352). Cuius disputationis fontem si requirimus, dubium non est, quin hauserit eam Rufinus ex Origenis libris, qui primus inter Graecos sententiam de interventu animae in copulatione Verbi cum carne in medium

protulit<sup>1)</sup>). Ac multi libenter secuti sunt Origenem patres et ecclesiastici scriptores tam Graeci quam Latini, quos omnes accurate recenset Petavius<sup>2)</sup>. Tamen inter hos et ipsum Origenem hoc interest, quod illi fere omnes in ea doctrina ab ipsius catholicae fidei finibus ne minimum quidem recederent, hic haereseos suspicionem non satis fugerit. Constat enim, Origenem propterea statuisse medium intercedere in incarnatione animam inter Verbum divinum atque corpus humanum, quod illa prius cum Verbo fuisset coniuncta, quam corpus existeret<sup>3)</sup>). Talem vero sensum subesse non admiserunt in ecclesia neque reliqui patres vel scriptores neque Rufinus<sup>4)</sup>.

1) v. Orig. de princ. II, 6, 3. cf. Knittel, l. c. p. 125 sq.

2) cf. Petavius l. c. de incarn. IV, 3.

3) cf. Petavius l. c. n. 8.

4) Schwane, Dogmengeschichte der vornicaenischen Zeit, p. 328 sq.: »... es gebürt unserm Kirchenschriftsteller (Orig.) der Ruhm, die Integrität der menschlichen Natur in Christo nach Seele und Leib so deutlich hervorgehoben zu haben, wie es ausser Tertullian unter den vornicaenischen Vätern keiner gethan hat. Freilich ist nicht zu erkennen, dass ihn, abgeschen von der deutlichen Lehre der heiligen Schrift und des christlichen Glaubens, auch seine ganze aus Plato entlehnte Weltansicht zur besondern Betonung der menschlichen Seele Jesu bestimmte; denn es ist bekannt, dass im Platonismus die Seele das eigentliche Wesen der Menschennatur ausmacht, und die grobe irdische Materie auch nach Origenes ihr Dasein der Sünde verdankt und somit von der Sünde irgendwie influenzirt sein muss. Daher gewinnt die Seele Jesu jetzt eine besondere Bedeutung für die Incarnation, insofern sie das Mittel- und Bindeglied für die Vereinigung des Logos mit einem materiellen Leibe wird. Sie ist einerseits geeignet und befähigt, mit dem Logos in eine innige Lebensgemeinschaft zu treten, und andererseits ebenso fähig, den materiellen Leib zu informiren und zu beleben. Zwar wurde dieser Gedanke von einer Vermittlung der Seele zwischen dem Logos und dem materiellen Körper von spätern Vätern mit Beifall aufgenommen und festgehalten; allein es ist doch nicht zu erkennen, dass demselben bei Origenes Nebenvorstellungen von der Materie und den materiellen Körpern zu Grunde lagen, die nicht aus dem Christenthum, sondern aus dem Platonismus entlehnt waren. Denn dass die Materie in seinem philosophischen Systeme um so weniger geeignet war, von dem Logos adoptirt und in das persönliche Leben aufgenommen zu werden, versteht sich von selbst.«

